

ribus, subundulatis foliis; sed calyce basi pedunculisque sub calyce pubescentibus, et color florum aureo-flavus. Folia ut in *T. pratensi*, basi dilatata amplexicaulia, et pedunculi aequales, nec incrassati. Habitat in Scepusio, unde a Generisch specimen manum accepi.

469. *T. orientalis*.

Habitat in graminosis siccis ad Gödöllő, Arács, Füred, in Muraköz, ad Varasdimum, in Syrmio, Banatu.

470. *T. canus*. Pl. rar. Hung.

Inter frutices solo arenoso, ad Izsák; alibique in Cottu Pesthiensi, in populeto ad Izsák.

471. *T. major*.

Habitat in graminosis Budae, ibidemque ad vias inter vineas, in Cottu Albensi, Veszprimensi, Szaladiensi, inque Banatu et Syrmio.

472. *T. angustifolius*?

Sed caules pedales altioresve, et calyces corolla breviores. Ad Csaba versus Dorog. Corollae magis quam in *T. pratensi* et *T. majori* flavent.

473. *Scorzonera austriaca*.

Habitat in montibus aprieis tractus mediterranei Strigonio usque Keszthely.

474. *S. humilis*.

Dignoscenda à praecedente foliis latioribus, planis, nervosis: nervis opacis, apice obtusiusculo, squamis calycinis apice non fuscis; lanugine calycum, caulum et petiolorum copiosore. In pratis subalpinis caule est unifloro, palmari; foliis ovatis, acuminatis, aut ovato-lanceolatis; in pratis humidis autem partis australis regni, velut per Comitatum Pesthiensem, Hevesiensem, Albensem, caulis est pedalibus altioribusque, saepe 2 — 3-floris, raro unifloris, foliis latolanceolatis, aut ovato-lanceolatis; praeterea ibi folia caulinis

sunt breviora quam hic; nec tamen squamae dicenda ut in *S. austriaca*. — Quae Linnaeus in itinere oelandico de sua notavit, omnia exacte convenient, dentis corollulis, quae nostrati calyce sunt longiores, Linnaeanae calycem aequantes. Datur varietas *angustifolia*, quae omnibus notis cum *S. glastifolia* convenit; hujus discriminem primo determinandum venit.

475. *S. dentata* mihi.

Similis *S. hispanicae*: caule erecto, ramoso subsesquipedali; foliis lanceolatis, infimis saepe ovato-lanceolatis, longe acuminatis; calyx squamis exterioribus ovatis, acuminatis, potius cuspidatis, potius magnitudine quoque et colore florum. Sed diversa foliis angustioribus, inferioribus totto margine dense dentatis, dentibus obtusis, subcallosis. In horto e seminibus educata constans mansit, hoc non obstante forsitan pro varietate sumenda. Superiora folia margine scabra. In Hungaria a me lecta.

476. *S. hispanica*.

Folia margine diaphano-scabra, quandoque inferiora raris dentibus instructa, ut in pratis ad Dégh notavi. Habitat in graminosis montium Budensium, in pratis siccis Cottus Albensis, Veszprimiensis, Szaladiensis, Sümeghiensis. Apud nos foliis plerumque dentes desunt; ergo in definitione foliis subdentatis, non distinguenda.

477. *S. parviflora*.

Caules verni simplicissimi, unifolii, uniflori, folia parum excedentes; aestivi ramosi, foliosi, folia multum superantes. Squamae calycum apice ihenrvae. Pappus sessilis. Habitat in pratis udis, subsalsis, et ad lacus salsos: Pesthini, Budae, in Cottu Albensi, Sümeghiensi, ad Balatonem, Soproniensi et Mosoniensi ad Peisonem.